



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Cruce  
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte  
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi  
coadiutoris**

**Juan <de la Cruz>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1639**

Capvt V. De imperfectionibus in quas incipientes quantum ad iræ vicium  
spectat, labuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37873**

finet, tantum abest ut vnus alteri optuletur, ut etiam ille qui præualet, extinguat alium ac confundat, seipsum verò, quemadmodum Philosophi dixerunt, magis corroboret. Quam ob causam Saluator noster in Euangelio dixit. *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est.* Hoc est amor, qui ex sensualitate ortus est, ad sensualitatem terminatur, ille verò qui ex spiritu, in spiritum DEI desinit, illumque adauget. Atque hoc est discrimen, quod inter duos istos amores reperitur, per quod etiam dignosci possunt. Quando verò noctem obscuram ingressa fuerit anima, vniuersos amores istos, ad rectam rationis formam redigit: illum enim qui secundum DEVM est, corroborat repurgatque; alium verò profligat vel extinguit, aut mortificat; à principio autem, virtutis amoris notitiam, sicuti postea dicitur.

IOH. 3.  
n. 6.

### CAPVT V.

*De imperfectionibus in quas incipientes quantum ad iram visum spectant, labuntur.*

*Spiritua-  
lis dulcedinis sub-  
trahitio, occasio ira.*

EX inordinato appetitu, quo multi incipientes feruntur in consolationes spirituales, oritur ut regulariter eas habeant permixtas pluribus imperfectionibus iracundia. Cum primum enim sapor, & dulcedo in exercitijs spiritualibus deficit, naturaliter efficiuntur insulsus, & insipidus, & ex amaritudine illa prouenit, ut sibi ipsis graues sint in rebus agendis, & leuissimam licet ob causam facile irascantur: imo aliquando, vix aliquis eos tolerare potest. Quod eis plerumque accidit habita prius aliqua suauis admodum recollectione sensibili in oratione: cum enim

suauitas illa, ac sapor euanescat, naturaliter eorum natura insipida remanet, ac tridiosa. Quemadmodum contingere solet infanti, ab uberibus, in quibus ipse delitijs suis fruebatur, auulso. In natura porò, quando displicentiam istam, seu insipiditatem preualere nõ sinit, nulla reperitur culpa, sed solummodo imperfectio, quæ ariditate, & pressuris obscuræ noctis repurgari debet.

Nonnulli etiam spiritualium istorum reperuntur, qui in alium spiritualis iræ genus labuntur: quod tunc potissimum fit, quando alienis virtijs, cum quodam inquieto zelo irascuntur, obseruando eos, & interdum impetus quidam insurgunt, reprehendendi illos cum indignatione, quod etiam aliquando te ipsa exequantur, se ipsos quasi virtutis dominos & magistros facientes: quæ omnia spirituali mantuerudini aduersantur.

Nonnulli etiam sunt, qui quando se imperfectos considerant, sibi ipsis cum impatientia haud humili indignantur: qua in re ira impatientes sunt, ut vna die vellent sanctitatem adipisci. Plures ex istis proponunt multa, & grandia prestare, at cum minime sint humiles, sibi ipsi confident, quanto plura proposita faciunt, tanto magis labuntur, & tanto amplius irascuntur, nec patientiam habent, ad expectandum, ut ipsis à Deo quando illi placuerit, id quod optant, conferatur, quod etiam est contrarium diuini spirituali mansuetudini. Quibus omnibus remedium non potest adferri, nisi per noctis obscuræ purgationem. Quanquam aliqui tantopere sunt patientes, adeoque in proficiendi studio lente procedunt, ut nollet eos Deus ita patientes esse.

CA-